ORATIO DE SCRIBENDA HISTORIA UNIVERSALI HUIUS SECULI, EOQUE PERTINENTIBUS NECESSARIIS...

Johann Burchard Majus

1034.1

ORATIO
De
SCRIBENDA
HISTORIA UNIVERSALI
HUJUS SECULI,
eoque pertinentibus
NECESSARIIS SUBSIDIIS,
In Illustri
CHRISTIAN-ALBERTINA,
Sub auspicium
Eloquentiæ & Historiarum Professionis,
D. 17 Januarii, Anni cIↃ IↃC XCIII.
publice solenniterque habita
à

JO. BURCHARDO MAJO.

KILONI,
Sumptibus Joh. Sebastiani Richelii.

REVERENDISSIMO SERENISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO ALBERTO

HÆREDI NORWEGIÆ POSTULATO COADJUTORI EPISCOPATUS LUBECENSIS

DUCI

SLESWICI HOLSATIÆ STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ

COMITI

IN OLDENBURG ET DELMENHORST &c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

VITAM DIUTURNAM REGIMEN TRANQUILLUM AC FELICITATEM PERPETUAM!

SERENISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME.

QUæ causa alios, eadem & me permovit, ut SERENISSIMO NOMINI TUO viles hasce pagellas, muneris mei primitias, consecrarem; pietas nempe atque obsequium, quò

SERE-

SERENITATI TUÆ, perinde ut illi, devincior. Dum enim à TUA CLEMENTIA in Illustri hac Academia munus accepi amplissimum, benignitati TUÆ acceptam ferre debeo & studiorum meorum salutem, & vitæ fortunarumque præsidia, à quibus me belli calamitas dejecerat. Unde Principem TE magis, an Patrem dicam, hæreo dubius. Mihi certè in Principe Pater, in Patre Princeps fuisti. Id nisi agnoscerem, impius, nî celebrarem, ingratus essem futurus. Proinde TIBI, CLEMENTISSIME DOMINE, hoc quicquid est oratiunculæ, in grati ac devotissimi animi pignus, nunc offero, plenus spei, plenus fiduciæ, ad quam unicè TUA me erigit Gratia. Quæ si in posterum etiam, ut spero, perfugium meis præbuerit Musis; enitar sedulò, ut aliquando offeram majora,

ac

ac digniora excelsissimo TUO *Fastigio, cui me meaque omnia devoveo. Interea* DEUM *venerabor assiduè, ut* TE, PATER PATRIÆ INDULGENTISSIME, *in Augustæ Stirpis solatium, Civium Tuorum salutem, Ecclesiæ Scholarumque asylum, & hujus inprimis Academiæ præsidium, perpetuò sospitet, servet ac tueatur.*

SERENITATIS TUÆ

Kalend. XVII. Calend.
Febr. cIↃ IↃ XCIII.

subjectissimus &
obsequentissimus

Jo. Burchardus Majus.

Benevolis Hiſtoriarumque amantibus Lectoribus

S. P. D.

Jo. Burchardus Majus.

*RE*s geſtas mandare memoriæ & conſignare literis, ut difficile perquam arduumq; eſt: ita pauci ab omni extiterunt ævo, qui id digne atq; cum laude præſtiterunt. Neque enim rarius quicquam hodie inveniturin ter hominum ſcripta, quàm legitima omnibusq; numeris abſoluta Hiſtoria, quæ à Polybio vocatur pragmatica, quippe ad quam contexendam innumerorum non ſolum monumentorum lectio, tum omnia ſeſe diffundens judicium atq; ingenium prope divinum requiritur. ſed ſcribentis etiam animus liber eſſe debet à ſpe metuque, ac ſtudio partium, ut nil falſi dicat, nil veri diſſimulet, nec odio gratiæque quicquam tribuat; ſed omnia, prout acta geſtaque ſunt, nullo aut perſonarum aut rerum habito diſcrimine, candide ac ſincere exponat. Qua in re gravissimos hiſtoricos, interque eos ipſum Romanæ hiſtoriæ principem, Livium, interdum peccaſſe videas, qui etſi nil cauſæ habuit, cur in hanc illamve inclinaret partem; tamen de Hannibale & Romanis ſcribens, ſuis indulſit affectibus, partique alteri plus æquo tribuit. Similiter Jac. Aug. Thuanus, alter

quaſi

quasi evi nostri Livius, licet cæteris probatus omnibus, Jesuitarum tamen censuram effugere haud potuit; quando ab illis subinde jugillatur & reprahenditur. Quorum secutus exemplum Marcus Velserus, eundem quoque carpit ideo, quod in commendando Carolo V. nimis parcus fuerit. Et quoniam nec prava suorum consilia actaque laudare, nec adversariorum recte facta insectari præter Historici officium, voluit, gravissimum maleferiatorum hominum odium incurrit, cujus famosus Jo Baptista Galli libellus, sententiâ Curiæ Parisiensis à carnifice combustus, testis est satis copiosus. Prima ergo Historiæ lex est veritas, *cujus complexu &* libertas scribendi *continetur &* sinceritas. *Ipsa vero Historiæ structura & compositio duabus potissimum partibus,* rebus *nimirum &* verbis *absolvitur. In illis* consilia *primùm, deinde* acta, *tum* eventus *considerandi veniunt. Et in consiliis quidem explicandum, quid scriptor probet, in rebus autem gestis declarandum, non solùm quare, sed & quomodo, cujusque gratia quid factum gestumque sit. & cùm de eventu agitur, illius, nisi fuerit fortuitus, ratio etiam causæque omnes indaganda sunt. Denique pro qualitate ac conditione rerum* idonea ac selecta verba *adhibenda, & facta dictis exæquanda. Res enim illustres illustrem & grandem, mediocres mediocrem, humiles humilem orationis cultum postulant. Ex quibus sane omnibus judicare in expedito est, summum eruditionis*

men-

mentisque humanæ opus esse, integram historiam rectè scribere, præcipuè instituto Polybiano, qua dicitur universalis. Quocirca pauci à tot seculis fuerunt, qui illius formam vel animo complecti, vel stylo signare auderent. Præstiterunt tamen illud omnium optimè, ex veteribus Polybius *atque* Diodorus Siculus: *E recentioribus verò* Thuanus, *qui solo pra omnibus aliis in hac arte excelluerunt. Longe enim infra horum dignitatem ac gloriam sunt* Trogus Pompejus, Cedrenus, Zonaras, *aliique longo ordine à Bœclero, in eruditâ dissertatione de utilitate ex historia universali capiendâ, recènsiti. Nec quisquam hactenus tam grave arduumque opus aggredi ausus est; quanquam laudati Bœcleri judicio, continuando* Thuano *pares è Gallis habiti sunt duo* Puteani: *si nimirum res rerumque judicium & prudentiam respicias. Nam quantum ad stylum attinet, illius paullò solutior, horum erat adstrictior. E Germanis verò huic negotio maximè idonei videntur nobis fuisse* Christoph Forstnerus, *atque* Albertus Portnerus: *quippe quos à doctrina, ingenio, prudentia, eloquentia, cæterisque omnibus ad condendam historiam necessariis præsidiis instructos fuisse certum est. Hodie quidem ne haud inferiores censentur illustres inque gloriam nostræ gentes nati Polyhistores* Ulr. Obrechtus, Meibomius, Pufendorfius, Leibnuzius, Schurzfleischius, Pfannerus, Sagittarius, Hanckius, *& forte alii: sed an quisquam eorum tantum sibi onus susceperus sit, non immeritò dubitandum est, cùm non unius hominis aut ætatis*

esse videatur, tot Principum tabularia, tot Acta publica, tot Commentarios atq; immensa volumina historica alia undiq; conquirere, probe excutere, dextrè dijudicare, resq; inde multo labore collectas apte congruenterq; disponere, dispositas recte contexere, contextas demq; dilucide prudenterq; enarrare. Tum verò vel maximè ferreo hoc seculo extimescenda multorum offensa est, præsertim si fontes & interiores consiliorum actorumq; rationes aperta, artes q; & machinationes fraudulentæ detecta fuerint. Proinde etsi omnium desideratur, ac desideretur fortè imposterum historia seculi hujus pragmatica, quæ nempe res ab illius initio ad nostra usq; tempora toto terrarum orbe gestas plenè exhibeat, ad quam contexendam quot ac quænam requirantur subsidia, brevi succinctaq; Oratione, sub auspicium Eloquentiæ & Historiarum Professionum, à SERENISSIMO PRINCIPE clementissimè nobis demandatarum, ostendere, à munere meo haud alienum putavi. Quam ut sibi, sumptibus suis edendam, concederem, cùm multis me precibus oraret Academia nostra Bibliopola, Jo. Sebast. Richelius, ab eo me exorari facilè passus sum. Etsi enim amplus multò copiosusque hoc argumentum sit, quàm ut omnes illius opes copiaque unâ hac oratione exhauriri, aut potuerint, conatibus q; etiam meis successus ex æquo non semper responderint. eam tamen qualecunque saltem voluntatis meæ testimonium, apud ingenuos historiarum amatores, fore, eidemq; vos, Lectores benevoli, pro facilitate vestra patrocinaturos esse, confido. DEUS VOS SERVET.

In

IN Illustri ac splendido hoc Vestro consessu, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, consisto hic paenè attonitus, & tacito quodam horrore perfundor, dum & meam in dicendo infantiam, & tenuitatem virium, & hujus, quod jam ingredior, muneris gravitatem amplitudinemque mecum reputo. Designatus enim successor Morhofii, cujus divinas ingenii dotes, atque eximia in hanc Academiam, & rem literariam merita nec assequi ego, nec disertissimus quisque praedicare dignè satis poterit. Quae sanè omnia mihi cogitanti, diu multumque dubius plane anceps que haesit animus, utrum acciperem, an repudiarem tam grave arduumque munus, cui sustinendo humeros meos sentirem esse impares. Nam, praeterquam quod Vico summo & incomparabili, neque ingenio, neque doctrinâ ullo modo comparandus sum, neque famam illius, per universum, quâ patet, eruditum Orbem longe latèque diffusam dilatamque, non dicam amplificare, sed ne

quidem æquare sustineo: ipsum etiam Eloquentiæ Historiarumque studium tam amplum & diffusum, eamque multis difficultatibus impedtum est, ut à professione illius vel exercitatissimus quisque deterreri facilè queat. Quare ante omnia DEUM vocavi in partes, eumque ardentissimis rogavi precibus, ut ex consilii hujus longè difficilimi ambagibus expedire me, & quid vel eligendum, vel amittendum mihi foret, animo meo vellet suggerere. Neq; defuit precanti benignissimum Numen, & mentem voluntatemque meam eò flexit, ut optimi pariter & litterarum litteratorumque omnium amantissimi Principis nutui parere omninò decreverim, divina potissimùm fretus clementiâ, quam ut sæpè aliàs in rebus meis eram expertus; ita eandem nec in pio hoc laudabilique proposito me defecturam; sed quicquid impositum fuerit oneris, huic suffecturas corporis animique vires benignè largiturum sperabam, planeque confidebam. Proinde de auxilio divino, deque Vestro, Patres Academiæ Conscripti, singulari in me favore ac benevolentiâ certus, huc demigravi, hancque jam conscendi cathedram, demandati mihi muneris auspicium, solenni quadam oratione, pro more, facturus.

Hujus

Hujus verò dum meditabar argumentum, quod nec eruditissimo huic Auditorio ingratum, nec à meâ professione esset alienum; commodùm mihi venit in mentem recordari trium ætatis nostræ summorum Polyhistorum, Schurzfleischii, Bosii, hujusque Successoris, Sagittarii, quorum ille de vero Historiæ usu, iste de Historiâ Ecclesiasticâ diligentius excolendâ, hic de utilitate ex Historia Germanica capienda, sub similis professionis auspicium, eruditè admodum facundeque disseruerunt. Horum igitur & ego nunc secuturus vestigia, in solenni hac Panegyri brevitèr nonnulla dicam de scribenda Historiâ, quam vocant, Universali hujus Seculi, eòque pertinentibus necessarius subsidiis.

Prius verò quàm id faciam, cumulatèque officium præstem; debitas agendas esse censeo gratias & DEO Optimo Maximo, & Principi Clementissimo, & Vobis, Illustris hujus Academiæ Professores, famâ meritisque longè celeberrimi. Ac DEO quidem, quòd me ab ineunte ætate inter varios casus, variaque vitæ discrimina hucusque salvum servavit & incolumem; quòd studis meis rectè continuandis sumtûs suppeditavit necessarios; quòd fideles ac eruditos dedit Doctores; quodque Fautores etiam

Adjutoresque excitavit quam plurimos, qui doctrinâ præceptisque salubernimis meum imbuerunt animum, Musasque meas leviores fovernnt benignè, & quibuscunque potuerunt modis juverunt ornarunque.

Post DEUM converto me ad Serenissimum Principem, Auctorem atque Nutritium Academiæ hujus indulgentissimum, eique, quantâ animi possum subjectione, gratias ago habeoque humillimas, pro summâ Ipsius clementiâ, quâ professionem, quam luctuoso suo obitu, vacuam hic reliquit Morhofius, præ aliis nec opinanti, nec merenti mihi decrevit, potestatemque fecit, eloquentiam historiamque publice docendi. Quod beneficium ut merito inter mortalia duco maximum; ita grato semper agnoscam animo, proque Largitoris munificentissimi salute atque incolumitate perpetuâ, vota precesque faciam apud DEUM, ut Ipsum cum tota domo Serenissima sospitem servet, protegat ac tueatur, cum omni, tum hoc præsertim tempore, quô meliores literæ, furore hostili sedibus suis passim ejectæ mœrentesque, perfugium quærunt, in Eoque certissimum habent. Cujus sanè rei nemo tam evidens exemplum, quàm ego, qui & solatium tristitiæ & levamen-

men-

mentum asperioris sortis ab Eodem auspicatissimè sum consecutus. Is enim mihi in exulo degenti benignitatem planè incredibilem ostendit, viamque adeo hactenus clausam, & exercendæ industriæ campum quàm latissimum hîc loci aperuit, ut certa me in posterum spes teneat, nil mihi, nil meis studus defuturum, quoad ipsi vitâ, mihi illius frui liceat clementiâ.

Denique & Vobis, Illustris hujus Academiæ Professores celeberrimi, Patroni summi, atque studiorum Promotores æternùm devenerandi, persolvere gratias mea me jubet pietas. Vestrum enim hoc quoque est beneficium, Vestroque potissimùm consilio atque judicio factum esse crédo, ut Princeps Optimus ad eundem, quem jam conscendo, honoris gradum me eveheret, Vestroq; celeberrimo Ordini adscriberet. Quo nomine ut Vobis obstrictum devinctumque perpetuò me agnosco; ita vicissim toto animo eò incumbam, ut pro Academiæ hujus incrementis, pro dignitate Ordinis Vestri, Vestraque demum omnium salute ac felicitate precer DEUM immortalem. Neque demandati mihi muneris obliviscar unquam, & Academiæ hujus famam omni labore, omni studio ac diligentiâ,

quoad

quoad potero, propagare ſtudebo. Interim majorem in modum Vos oro quæſoque, ut, quam mihi ſemel declaraſtis, deinceps quoque ſervetis benevolentiam. Cujus certiſſimum habebo documentum; ſi Vos cum cæteris Auditoribus hic congregatis, quos omnes atque ſingulos ideò quoque obſequioſiſſimè rogo, mihi ad breve temporis ſpatium dicturo, benevolas præbueritis aures.

Hiſtoriæ univerſalis difficultas.

CUm omnis, tum hujus inprimis ævi Hiſtoriam ſcribere, magnæ utique molis magnæque artis & prudentiæ opus eſt; ſive belli pacisque negotia, eorumque cauſas & interiora conſilia, ſive rerum geſtarum multitudinem, ſive varietatem eventuum, ſive denique regnorum fata vicesque conſideres. Siquidem nullâ hominum memoriâ, nulla ætate, quàm hâc noſtrâ, tam varia tamque atrocia exarſerunt

Bella. bella; è quibus, ut præcipua tantùm & inſigniora nunc recenſeam, fuerunt bellum illud luctuoſiſſimum, quo per triginta annos univerſa deflagravit Germania, bella item inter Polonos, Svecos Danosque, inter Anglos & Belgas, inter Hiſpanos & Luſitanos, inter Turcas ac Venetos, inter Gallos & Batavos,

tavos, inter Germanos, Turcas Gallosque magno animorum armorumque motu ac fervore utrinque gesta. Quorum omnium causas, occasiones, initia, progressus exitusque, & enatas inde calamitates ac clades gentium, urbium atque oppidorum excidia, barbariemque Christiano nomine prorsus indignam, rectè fideliterque describere, infinitum rem laboris esse, nemo facilè ibit infitias.

Induciæ & Pacificationes.

Neque minorem curam industriamque requirere videntur tot pactæ Inducie, tot initæ Transactiones, tot sancitæ Pacificationes, cujusmodi celebrantur præ aliis inducie inter Poloniæ Sveciæque reges, viginti annorum inducie Imperii Romani cum Turcis pariter & Gallis. Pax Pragensis, Osnabrugensis, Monasteriensis, Pyrenæa, Rotschildensis, Olivensis, Oliwensis, Bredana, Aquisgranensis, Pax inter Svecos & Russos, inter Lusitanos & Fœderatos Belgas, & novissimè Noviomagensis, Transactio Velavensis, Tractatus Francofurtensis Imperii cum Gallo, & denique abhinc triennio Serenissimi nostri Ducis cum hodierno Daniæ Rege, Christiano V. Quamvis enim pleræque illarum jam typis sint expressæ, publicique juris factæ; plenam tamen perfectamque actorum omnium historiam, consilia, ar-

tes caulasque penitiores non exhibent; quippe quæ non nisi à viro prudenti, & in hujusmodi negotiis intimè versato, vel eorum, qui secreta partium rerumque momenta propius introspexerunt, disciplinâ exquisitè instituto, erui ex abdito cognoscique plenius possunt.

Bellandi artes, modi & instrumenta.

Prætereà ævo hoc nostro tot excogitatæ sunt bellandi artes, tot nova exitio hominum inventa instrumenta, tot ac tam famosæ factæ urbium obsidiones & expugnationes; tot item ac tam fervida eruentaque commissa prælia, ut ea commemoraturo ac describturo & vox deficiat, & horreat animus. Sanè in fatali illo Germaniæ bello, quod triginta annos duravit, intra quatuordecim annorum spatium quindecim conferta sunt prælia, in iisque ultra trecenta hominum millia occisa feruntur, exceptis iis, qui in levioribus velitationibus interierunt.

Regnorum & Reipublicarum conversiones.

Insuper regnorum rerumque publicarum incrementa, diminutiones, conversiones uberrimam scribendi materiam præbent. Quandoquidem hoc sæculo Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ regna conjuncta, & variis subinde casibus ac turbis jactata, formaque regiminis mutata, secum nempe percusso Carolo I. ejusque filius in exilium pulsis, tandemque Carolo II.

post

post Cromwelli excessum restituto, fratre vero ipsius Jacobo II. è regno nuperrimè fugato, in eusque locum Wilhelmo Henrico Auriaco, Ordinum suffragio & populi, surrogato : Hispanorum potentia fracta, Gallorum contra ad summum fastigium perducta : Portugallia regnum sui juris fœmineumque facta : Fœderati Belgii provinciæ imperio exemptæ : Daniæ, Suediæ Hungariæque reges, regna sua pleno hæreditarioque jure consecuti : Moscovia intestinis motibus & factionibus concussa : Turcarum vires Moldaviæ, Valachiæ, Transylvaniæ, magnæque Hungariæ, nec non Poloniæ partis accessione antea in immensum auctæ, nunc afflictæ valdè attritæque : Polonorum Germanorumque fines diminuti, illis Podolia, Volhynia & Ucraina à Turcis ; Smolensko à Moschis ; his Lotharingia, Burgundia Alsatiaque à Gallo ereptis ; Bremensi verò Verdensique Ducatibus cum ulteriori Pomerania regi Suediæ cessis : Electores Brandenburgicus supremum in Ducatum Prussiæ imperium, & Saxoniæ plenum & hæreditarium jus in Lusatiam ; Dux verò Holsatiæ in Ducatum Slesvicensem ex transactionibus publicis adepti : Comitatus Tyrolensis, Ducatus Ligunicensis, Brigensis & Olavensis

ensis Imperatori ; Principatus Simmerensis Electoris Palatini ditioni accrevit : Electorum numerus & potentia aucta : Palatinatus unà cum dignitate eligendi Imperatoris partim Bavaro, partim Neoburgico Duci cessit.

Eadem & Controversiæ illustres.

Jam si quis omnia fœdera, omnes fœderum formulas, omnesque controversias illustres, nostro hoc seculo maximè agitatas, dignè velit describere, quàm sudabit ille, quàm anhelabit? Si enim usquam alibi, hîc certè labore judicioque opus est maximo. Cogitate, quæso, quot & quanta hodie extent volumina vel de solis controversiis, Juliacensi, Clivensi, Hoxterana, Donawertensi, Oldenburgica, Delmenhorstana, Badensi inter ortumque lineam, nec non cum Duce Nivernensi, Comitibusque Nassovii Saræpontani: Marpurgensi inter Darmstatinum & Casellanum Principes, inter Moguntinum & Palatinum, ex causa juris proprios homines faciendi, interque hunc & Bavarum de Octoviratu, Iure pernq; Vicariatus hodierno: inter Saxonum & Moguntinum de jure protectionis ut Erfurtum: de jure item devolutionis in Brabantiana inter Galliæ Hispaniæq; Reges. Quibus accensenda Augustæ Vindelicum nuper orta, exitumque felici terminata disceptatio de Iuliaco, minore adhuc annis, vivoque Parente Imperatore

ratore in Regem Romanorum eligendo. & de qua hodienum litigatur, Saxo-Lauenburgica, ut jam sciens prudensque omittam alias. Ut taceam quoque exterarum victimarumque gentium res, in Hispaniâ, Galliâ, Italiâ, Hungariâ, Bohemiâ, Helvetiâ, Hollandiâ, Britanniâ, Sveciâ, Daniâ, Poloniâ, Russiâ, Turciâ Europæâ domi forisque gestas, quarum omnium acta, monumenta, commentaria, variis linguis typisque vulgata, diligenter ac studiose evolvenda sunt ei, qui quidem historiam hujus seculi exactu, & prout operis ratio atque argumenti uberras postulant, conscribendam sibi proposuit: Siquidem illarum omnium res ita plerumque connexæ cum nostris sunt ac copulatæ invicem, ut hæ sine illis intelligi explicarique minimè queant. Exterarum gentium res

Et quoniam in Historiâ, Universa prætermitti haud debent, quæ ad statum Ecclesiæ pertinent; recensendæ quoque sunt variæ religionis controversiæ, sectæ, synodi & colloquia, ritus item ac cerimoniæ, tum mutationes, afflictiones & martyria, denique Romanorum Pontificum molimina, acta actorumque judicia, Sacerdotum ambitio & luxus, Theologorum contentiones & jurgia, atque id genus alia. Quod qui facere instituet, vel mille Res Ecclesiasticæ.

librorum obruetur cumulo. Quanquam arduum hoc negotium magno nuper animo Tubingæ aggressus est Jo. Wolfgangus Jägerus, scripturus Historiam Ecclesiasticam hujus seculi, cujus unum alterumque jamjam decennium produt, de qua quid sentiendum sit, judicandum relinquo doctioribus.

Memorabilia & inventa nova.

Ad reliqua enim nunc mihi properanti breviter quoque attingendæ veniunt res, memoratu digniores, quæ hoc Seculo vel acciderunt, vel industriâ ingenioque præstantissimorum naturæ scrutatorum inventæ sunt, quas inter potissimùm eminent, proditio pulveraria; seditio Neapolitana, duce Thomâ Aniello facta; præcipitatio Pragensis; Caroli, Britanniæ Regis, Wittiorumque, & Ducis Monmuthi cædes miserabilis; oppidi Plüræ eversio, inque lacum sesquimilliare Italicum longum conversio; Magdeburgi, Spiræ, Wormatiæ, Manhemii, Franckenthalii, Oppenhemii, Bonnæ, Confluentiæ aliarumque urbium & vetustate & splendore inclutarum funestum excidium; nec non Londinense, Prægense, omniumque Hispaniæ palatiorum superbissimi Escuriaci (*Escurial*) incendium; Viennæ contrà, à Turcis obsessæ summaque vi oppugnatæ, miranda liberatio; fidei Christianæ in China propagatio;

gatio; Societatis Americanæ in fœderato Belgio Galliaque institutio; Hugonottorum è Gallia ejectio; Anglorum Belgarumque à Gallis nuperimè reportata victoria navalis, ad omnem posteritatis memoriam insignis; nec non Cameræ obscuræ, Tuborum Opticorum, Microscopiorum, Speculorum ustiorum, Sclopetorum pneumaticorum, Campanarum urinatoriarum, venarum lacteorum, ductûs Chyliferi & Pancreatici, vasorum lymphaticorum, Chirurgiæ infusoriæ, Circulationis sanguinis, Pyrotechniæ similiumque quamplurimarum vel in Naturali, Medica, Anatomicâ, Chymicâ Astronomicâque Scientia, vel in Architectura civili pariter ac militari, vel in navali etiam militiâ, ævo hoc nostro, experimentorum sanè feracissimo, rerum novarum excogitatio. Licet enim illa in dubium vocet *Theodorus Janssonius ab Almeloveen*, peculiari in hanc rem edito libello, quò demonstrare conatur, vix unum esse in tanto inventorum numero, quæ nostro ævo pro novis vulgò venditantur, cujus vestigia, vel potius manifestissima documenta non exstent in libris veterum: tamen vel de solis Germanis nostris longè aliud testatur *Ferrarius*, Italorum doctissimus: *Una laus est*, inquiens, *de qua nemo* *Vid. Christoph. Wegleiteri Oratio de palmarum ferulis nostri temporis donatis Almeloveno habita.*

Orat. de Germanis laudatis.

storia Europæa nostri temporis; sed ſi ingenuè liberèque, quod res est, dicendum, plus illa titulo ſpondet, quàm ipſo opere exhibet. Accuratiorem certè optant omnes; qualem dicunt Vratislaviæ molitr *Martinum Hanckium*, virum sanè omni doctrinæ copiâ, omnibusque ad ſcribendam Hiſtoriam pertinentibus ſubſidiis inſtructiſſimum.

Rer. Germ. Scriptores

Rerum Germanicarum ſub Matthiâ, Ferdinandis II & III. ab anno noſtri ſeculi XVII. usque ad an. XLIII. geſtarum Libros CXIII edidit *Jo. Petrus Lotichius*. Virtutes Ferdinandi II. deſcripſit *Guil Lamormainus*, vitam Ferdinandi III. *Sigismundus Betulius* in *Speculo honoris Auſtriaci*; Geſta Leopoldi *Comes Galeatius, Gualdus*.

Rer. noviſſ. in Europâ.

Res noviſſimas, per univerſam Europam geſtas, copioſè fideliterque expoſuit *Petrus Valkenierus* in *Europâ* ſuâ, quam vocat, *perturbata* ab An. M DC LXIV usque ad an M DC LXXII. quas deinde, impari licet diligentiâ, ad annum usque M DC XXCII. pertexuit *Andreas Mullerus*. In eleganti vero Compendio res, ab initio hujus ſeculi usque ad Pacificationem Monaſterienſem toto terrarum orbe geſtas, *Nemo Peregrinus*, ſeu potiùs *Joſephus Möglinger*, Ciſtercienſis Monachus, no-

bis dedit, reliquas etiam pari, ut quidem promisit, brevitate brevi daturus. Idemque præstitit *Fridericus Hildebrandus* in Supplemento Synopseos historiæ sive universalis, in quâ res nostri temporis, ab An. M DC LXXII. ad An. usque M DC XC. pace belloque gestas, non minus eleganter, quam diligenter recensuit. Dianum memorabilis obsidionis Vindobonensis præter alios confecit *Jo. Petrus à Valkeren.*

Res Turcicæ. Historiam Turcicam, ab ultima gentis origine repetitam, & ad annum usque vigesimum tertium hujus seculi deductam à *Richardo Knolio*, pertexuit ad annum septuagesimum septimum *Paulus Rycautus*, (vulgò *Rycaut* dictus,) cui novem annorum supplementum ad annum nempe sexagesimum & octogesimum usque adjecit eques Anglus, *Rogerus Manley*. Atque hi tres, uno volumine Londini conjunctim edito, opus constituunt, ut vastum mole, ita optimum casibus, atrox prælis, discors seditionibus, ipsa quoque pace lævum.

Præter hos vix quisquam fortè nostrâ memoria pro dignitate tractavit historiam, si excipiamus *Schurzfleischium*, summum hujus ævi Polyhistorem, & seculo & laude nostrâ majorem, qui quantum

tùm in hac eruditionis parte valeat, vel ſola Sleidani ab ipſo pertexta oſtendit Epitome, in qua nitorem Neporis, lenitatem Cæſaris, judicium Dionis invenias. Quæ ſanè omnia deſiderantur in tumultuariis iſtis opuſculis, atque *Mercuriis*, & *Narrationibus Semeſtribus*, ſcriptis plerumque vel à conductis mercede, vel partium ſtudio obnoxiis, vel certè imparibus tantæ molì hominibus, plus ſæpè numis, quàm veritati tribuentibus; quandò, ut Strada loquitur, *veri amorem æquè omnes præ ſe ferunt, ac ſæpenumerò nulli jactantius fidem ſuam obligant, quàm qui maximè violant. Nam dicendi libertatem penè jam amiſit ætas noſtra, Scriptorum plerumque vitio, qui offenſionem Principum obtendentes ambitioſæ ſuæ, collatâ in tempora ac mores culpâ, blandiri & aſſentari, Sæculum appellant.* Quamobrem haud eſt mirandum, cur * extera invehantur potiſſimùm in Germanos, quod cùm veritatem debeant, meras larvas ac fucos exhibeant, & ex ineptis nullaque doctrinâ & judicio præditis Scriptoribus, Litterisque publicè afferri ſolitis, & vanis adeò confictisque rumuſculis potius, quàm ex ipſis Actis Actorumque fontibus hiſtoriam edant, quippe quæ certiora longè firmioraq; requirit præ-

de bello Belg. lib. 1. init.

sidia, qualia cumprimis sunt *Acta*, *Chronica*, *Annales*, *Itineraria*, *Navigationes*, *Legatorum*, *Ministrorum*, *Præfectorum Ducumque militarium Littera*, *Narrationes*, *Diaria*, *Ephemerides*, *Libri Memoriales*, *Negotiatorum Commentarii*, *aliaq; monumenta selecta*, *edita*, *medita*, *domestica*, *peregrina*, *publica*, *privata*, vel in Principum Tabularijs, vel illustrium doctorumque virorum Bibliothecis atque Scrinijs delitescentia, quæ tanè omnia ac singula undique conquirere, probè discernere, rectè dijudicare, & aptè congruenterque digerere, hoc opus, hic labor est Quemadmodum enim Historia non est nuda solùm rerum eventorumque narratio; sed actorum etiam, causarum consiliorumque interiorum plena atque dilucida expositio: ita cuilibet judicare in expedito fuerit, cùm omnis, tum *hujus* imprimis *ævi historiam* more institutoque Polybiano, quam vocant *universalem*, contexere, rem esse omnium difficilimam, ** in quâ & facultatem Oratoris, & virtutem prudentis æquas mutuasque sibi operas præstare debere, eruditi omnes ultrò mecum fatebuntur.

* Ex

* *Ex Italis* Victorius Siri *in præfatione vastissimi Operis, quod* il Mercorio Overo Historia de correnti tempi, *i. e.* Mercorium sive historiam currentium temporum *inscripsit, valdè exagitat hujusmodi Mercuriorum Scripturculas. E Gallis* Gramondus *in Mercurium Gallicum invehitur, eumque ob mendacia ac vanitates notat. E Germanis judicatissimus* Morhofius *in Commentationibus Historicis MSS. eos, qui Mercurias temporum scribunt, fabularum Scriptoribus accensuit, ac ne dignos quidem habuit, quos in Historicorum numerum referret; quippe qui sua è privatorum duntaxat literis ambigua fide nullaque judicio excerpserint, atque in rudem indigestamque molem congesserint: qualis imprimis* Jo. Christoph. Beemanno *audit* Gottfridi Schulzii Chronicon Germanicum. *Simile judicium de hujusmodi Relationibus & Mercuriis ferunt,* Barthol. Keckermannus *in* Comment. de naturâ & proprietat. Historiæ *p. 125. &* Durus de Pascolo, *sive* Eberhardus à Weihe, *seu alius auctor aulici Politici thes. 120* Enod. Tilemannus *in* discursu Philologico de Historicorum delectu *p. 147. ubi ineptos ejusmodi ac vanos rumusculorum captatores, ac mercenarios Relationum Scriptores graviter perstringit:* Cui stomachum, *inquiens,* non movent dissensiones Eitzingeri & Jacobi Frami? quantis vanitatibus scatet Mercurius Gallo-Belgicus? præterquam quod continuationes illæ à perfectione historicâ longissimè absint, summam rerum nunciant, non ordinem, (nam compilatores publicarum rerum inscientissimi politico judicio destituuntur, & aliquando historica à non historicis nolunt distinguere: quoties Francus coactus est sumere spongiam deletilem?) etiam inexplorata plurima cumulant, & quæ ad animandos milites in castris sparguntur, quæ ad terrendos imperitorum animos ex eumenmulgis volgantur, tanquam exploratissima conservant. Quod si verendariorum operâ scriptores decipiuntur, tegi hoc potest,

ſeſt, in hiſtorico ferri non debet. Neque hiſtoricus ſolet neſcire, quàm lubricum ſit, fidem ignaviſſimo cuique accommodare, qui conductus pecuniâ mavult incertiſſimos rumuſculos perſcribere, ne de ſalario periclitetur, quàm opperiri eventum, ut certiora perſcribat.

** *Difficultatem ſcribendæ Hiſtoriæ Univerſalis agnoverunt animi omnium ætatum eruditi, quotquot vel ipſi manum admoverint operi, vel viam ſaltem rationemque ejus tradiderunt; illi quidem, dum certorum temporum gentiumque potiùs, quam univerſalem hiſtoriam ſcribere maluerunt, vel haud dubiè difficultate territi; hi verò, dum tandem paſſim in Scriptis ſuis apertè palamque profeſſi ſunt. Quorum omnium hîc accumulare teſtimonia, quum prolixum nimis ac perquam tædioſum foret, vel unicum unius* Caroli Scribanii *ſufficiat, quod quia dictu noſtro abundè fidem faciet, non tedebit, ſupplendas hiſce pagellas, ad extremum hîc ſubjicere. Sic autem verba ipſius, leviter duntaxat immutata, habent in* Politico-Chriſtiano, *cap* XIV. p. 170. *& ſeqq.* Perdifficilis Hiſtoriæ ſcriptio eſt, quæ prudentiæ plurimum depoſcit; cum prima Hiſtorici virtus prudentia ſit veritati juncta, altera conſtantia, cæca animus in neutram partem degenerans. Eliminanda verò adulatio, indulgentior gentis ſuæ amor, odia, æmulationes, beneficiorum & injuriarum memoria. Conſilia contrà, & conſiliorum cauſſæ, prudenter etiam juxtà ac imprudenter, temereque ac providè dicta factaque aperienda = pericula item, fortuita, fortunam, infelicesque eventus; remediaque in minus proſperis conſiliis & ſucceſſibus explicanda. Neque hîc ſimplex nudaque inſtituenda narratio. ſed dictio quoque ſit gravis, ſeria, matura, ſententiis veſtita prudentibus, quæ lectorem ſuſpenſum teneat, quæ cum placeat, non eſplear, ſemperque novæ aliquid expectationis oſtentet; ut nuſquam depoſuiſſe calamum ſentiat,

nus-

nusquam fuisse, nisi opere universo expleto. Quod ut quis consequatur, Scriptores imitetur optimos, indeque decerpat optimum, *gravitatem* à Livio, *elegantiam* à Curtio, *prudentiam* à Tacito, *robur* à Sallustio. O quis mihi Historiam pro dignitate, & ex vero scribat! Audita referre? quàm dubia ferè ex his narratio! quàm referta partium affectu! Visa? quàm multi cæcutiunt videntes, & vera putant, quæ amant! nam quàm pauci Principum norunt abditos recessus, servatos centum clavibus! à quibus tamen non ultima Historiæ pars pendet. Pauciores etiam utrarumque partium consilia. Jam ipsi partium duces si scribant, quis credat illaudanda, damnanda scripturos? quis improbos animorum suorum affectus altum recondituros? quis factum, odia, reliqua vitia? quis verò imprudentiam suam aperiat, consilia damnet? quis errores vanâ suspicione natos, & nimium credulos animos? Dicet fors eos, qui ab arcanis Principum sunt, multum hic posse, fateor: sed neque hi Principum suorum omnia norunt: ab adversarum verò partium consiliis, molitionibus, studiis absunt longissimè. Jam si gentis suæ facta scribant, quis credat non lusisse in his affectum, pessimum veri venenum? in gentis verò alienæ, quis non mille sæpè erroribus implexos arbitrabitur? *Et paullò post*: Sed difficilis omninò Historica scriptio est. Non nego: neque enim ullam puto majoribus undique difficultatibus, tanquam perpetuis spinis, aut peracutis rupium cruribus, implexam: & tamen ad hanc etiam proxeneta, vilissimum hominum genus, illoto decurrunt ore, calamo, manibus. Quid faciens viri magni? scribent? & res sui temporis scribent, viventibus etiamnum Regibus, aut Regum filiis? At cujus calamo hoc robur, si vera scribenda sint, & exulare adulatio debeat? Scribent in ipso regno, aut extra illud? in ipso? Stephani expectent exitum, aut Pauli. Extra illud? miserum,

ſerum, ut vera ſcribas, exilium deligendum eſſe. hoc nimirum, lo-dorum & prudentiæ in magno viro præmium. Media incedes via? utrimque damnaberis. Amplecteris alteram? gravius meumbet adverſa, & vulneta ſua ſanguine medebitur tuo. Vera narrabis in neutram partem promior? ô quis hunc virum dabit! quoniam & vera dixiſſe auctori non ſemel exitio fuerit, falſa dixiſſe præmio. Nobilitatus Ducumque errores detegeſ? anta Hiſtoriam moriendum tibi erit, ne quater cogaris mori, opibus, calumniis, ferro, calamo. Nemo ergo ſcribet? Scribet. Sed quem ætas, & longa rerum experientia, & pertractatæ res manibus, & oculis luſtratæ docuerunt; qui nec damna timeat, nec honorem, opes, gratiam à calamo ſperet; & quem nullus affectus in transverſum rapiat, nullæque ſecures à vero deducant, cùm omnibus ſit minis & ferro major: ut cui cum Socrate, Thraſea, aliisque, pro vero mori etiam jucundum. Da mihi hunc virum ſupra ſpem metumque poſitum, prudentem, fortem, doctum; & audebo in ſcriptionem inhortari: etiam in ſcriptorum vulgationem, cum capulo jam propior quàm vitæ, non veritus fuerit in herede damnari, ut veritati ſua ſtet integritas, ſua laus, ſus fortibus, piis, prudentibus in poſteris præmia, ſus imbellibus, impiis, imprudentibus damnatio. *Habes hic*, Benevole Lector, *velut in compendio, legis ſcribendæ Hiſtoriæ vere ac Pragmaticæ, & quid cùm in* dictione, *tum in ipſa* ſtructura *potiſſimùm fidei prudentiæque Hiſtoricæ obſervandum ſit. Plura ſi deſideras, duumviros*, Caſaubonum *atque* Reinecciun *adi, quorum ille in præfatione Operis Polybiani, quomodo ſcribi: hic vero in methodo ſuâ, quo modo legi debeat Hiſtoria, luculenter oſtenderunt. Quibus & Bocle*rum, *ſi libet, adjungito, qui in ſuâ jam ſupra à nobis laudatâ Diſſertatione, de utilitate ex hiſtoriâ univerſali capienda, elegantèr quoque tradidit, quæ ad rationem tempora ndæ hiſtoriæ univerſalis ſpectant.*

* * *